

eam rem aut fidejussores extiterint, et convenire, ut ipsi communium legum participes sint, aut sibi constitutio nostra non adversetur.

CAP. I.

Sancimus igitur, ut cum aliqui ex his qui argentariæ mensæ præpositi sunt, mutuum alicui pecuniam dederint, et vel constitutæ pecuniæ reos, vel fidejussores, vel mandatores in eam rem acceperint, opponaturque ipsis constitutio, et ordo per eam introductus: nihilominus et in ipsis constitutio obtineat, nisi speciale pactum fecerint, ut *creditori licentia sit, tam principalem debitorem quam mandatorem atque fidejussorem, et constitutæ pecuniæ reum conveniendi, non expectato constitutionis gradu*. Propter ingens enim illud studium, quod argentarii circa publicos contractus adhibent, hujusmodi pacta conventa admittimus: cum non videantur contra legem esse, propterea quod *unicuique integrum est his, quæ ipsi a lege data et concessa sunt, renuntiare*⁴. Proinde si ubi tale pactum fiat: licitum ipsis esto, tam principalem debitorem, quam mandatorem et fidejussorem, atque alias porro personas convenire. Ut quidem si nullum pactum adscriptum sit, penitus et in ipsis valeat constitutio⁵. Si pacta vero adscripta sint: simul formam ac regulam⁶ addant contractui, simul exinde inferatur exactio.

CAP. II.

Secundum vero ipsis capitulum de altera illa exceptione erat, quam pridem⁷ fecimus, cum quis argentariæ mensæ præpositus militet, aut filios suos militare faciat, ut neque aut eo militantes ipsorum filii uti, quasi non ex paternis, aut aliunde quesitis pecuniis militent, sed creditorum: et petierunt, ut aut neque in ipsis hujusmodi locum haberet præsumptio, aut ipsis quoque eadem suppetent, ut si quis mutuo ab ipsis sumpto militet, aut etiam ejus filii, neque debitum possit aliunde dissolvi, vel ex istiusmodi militiæ ejus, aut filiorum venditione, satis ipsis fiat. Nos igitur cum neque simpliciter legem⁸ proposuerimus, sed cum convenienti observatione neque facile subverti ipsam sustineamus: sancimus, ut sacra constitutione valente, neque hac præsumptione, quæ secundum sacram constitutionem contra ipsos protenditur, sublata, quandoquidem multi, cum contrahunt, non suis omnia pecuniis facere videantur: habeant et ipsi hoc privilegii, ut si quis militet, aut ejus filii, ipsius quidem militiæ omnibus modis obnoxia teneatur, si de numero earum sit, quæ vendi solent. Consimiliter autem et filiorum nisi manifestissimè ab ipsis comprobetur, quod vel ex maternis filiorum bonis vel ex principali largitate militiæ ipsis accesserit. Nam si debitum aliunde dissolvere nequeant: tunc argentariæ mensæ præpositis etiam ex filiorum militiæ satisfiat: siquidem ipsorum gratia hanc legem proponimus, opposentes eam præsumptioni, quæ ex constitutione nata est. Et quemadmodum⁹ illa prædictam contra ipsos præsumptionem effecit: ita et nos contrarium ipsi remedium addentes, his solummodo, qui de prædicto consortio sunt liberalitatem nostram explicamus propter communem¹⁰ ipsorum utilitatem, quam in contractibus exhibent, dum multis se periculis immiscant, ut ingruentibus aliorum necessitatibus medeantur.

CAP. III.

Porro neque illud abs re dicere visi sunt, si cuiquam mutuatur, aut etiam præterito tempore mutuati sint ad nonnullarum mobilium aut immobilium rerum emptionem, et certam auri summam dederint, et *mutuata pecunia res empta sit, ut prorsus ipsi ea in re potiora*¹¹ jura habeant, neque distorsione aliqua tententur: sed simul ac ostenderit suis pecuniis eam rem comparatam esse, neque possint debitores pecunia ipsis numerata satisfacere: res istiusmodi pecuniis empta perinde ipsis addicatur, quasi revera ab ipsis emptio celebrata foret, et nuda emptoris appellatio fuisset apposita. Neque enim justum est, ut qui tam largiter pecunias suas profundant, non item primum et extra omnem controversiam positum ordinem in rebus sua pecunia comparatis teneant: dumtaxat si in contractibus scriptura interveniente celebratis hypothecæ aliqua facta sit mentio: hoc namque si observaverint, totum habituri sunt, quod a nobis petierunt: imo vero etiam amplius quam petierunt: si quidem omnibus præstantiora ipsis jura in iis rebus concedimus, quæ ipsorum pecuniis empta probantur. Si tamen contractus factus sit, aut fiat, nulla scriptura interveniente, ipsique vel pecuniam numeratam dederint, vel (quod maxime apud argentariæ mensæ præpositos fieri consuevit) species aliquot mundi forte muliebris, aut argenti, quod ob ejusmodi datur vendituræ, pro quo tamen pretium nondum perceperint: tunc¹² liceat ipsis hæc tanquam sua vindicare, etsi hypothecarum jus in

4. L. 12. C. de pæctis. — 5. d. N. 4. — 6. L. 1. § 6. D. de pæctis. L. 22. D. de verb. oblig. — 7. l. ult. C. de pignorb. — 8. d. l. ult. — 9. Fac. L. 3. § 2. D. de quod quisque juris. L. 3. in fin. D. mandati. L. 7. C. de recond. vend. — 10. L. 10. § 2. D. de edendo. L. 8. D. de pæctis. — 11. N. 97. c. 3. L. 7. C. qui potiora. — 12. L. 13. § 9. D. de act. empt. L. 31. § 8. D. de rebus edicto. — 13. L. 5. L. 12. C. de usuris. — 14. l. 30. D. d. t. l. 24. in fin.

iis non habeant. Neque enim illi possidebunt aliena: et cum aurum pro pretio non solverint, frustra detinebunt ea, quæ ipsis ab aliis tradita sunt: sed sive ad heredes transierint, heredes eorum pro ipsis, vel ipsa data reddent: sive ad heredes non pervenerint, licet hæc ipsis vindicare, nulla contra ipsos hypotheca in eorum rebus, quæ per alios forte quesitæ sunt, valitura.

CAP. IV.

Quia vero legem tulimus, ne argentariæ mensæ præpositi ultra beses usuras fœnerarentur, docuerunt autem nos, quod cum sine scripto fœnerari soleant: hi deinde illiberales se circa usuras præbeant, propterea quod et mutuum sine scripto contractum, neque stipulatio interposita sit: scilicet juxta illud quod vulgo dicitur, *non convenire, ut usure citra¹³ interpositam currant stipulationem*: quamquam multi¹⁴ casus sint, in quibus vel sine stipulatione et ex pacto nascatur usurarum obligatio: nonnunquam etiam hæc, tametsi non ex pactis, sed sumente sponte¹⁵ introducantur, tamen exigantur: propterea sancimus, ut usure ipsis non solum ex stipulatione, sed etiam absque scripto præbeantur, nimirum tales quales ipsos lex stipulari permittit, hoc est usque ad bessem¹⁶ centesimæ. Nam qui omnibus propemodum indigentibus opem ferre parati sunt, hos utique per hujusmodi minutias injuriam perpeti, justum non fuerit.

CAP. V.

Insuper de hoc quoque nos instruxerunt, quod hi qui cum ipsis contrahunt, cum instrumenta contractus et ratiocinia conficiunt, partim publice ea in foro componunt, partim ipsi propria manu conscribunt, partim ab aliis conscriptis subscribunt: petieruntque, ut si quid ejus generis conscribant, ii qui cum ipsis contrahunt, teneantur obnoxii et ipsis satisfaciunt, neque possint hoc in usum assumere et dicere, quod tametsi instrumenta, sive confessiones, sive ratiocinia omnia manu sua conscripserint, aut aliis scribentibus his subsignarint, aurum tamen, quod in iis comprehenditur, datum non sit: et ut exinde hypothecas habeant, et beses usuras, quamvis scriptæ non sint, tamen percipiant. Nos itaque, quoniam ejusmodi communia, ac publica sunt et majore consideratione indigent: respondemus ad hæc, uti conveniens est. Et quidem si quis publicum instrumentum confecerit, aut totum propria manu conscripserit, aut etiam instrumentis, vel ratiociniis ab aliis conscriptis subscripserit: ut omnibus modis tam ipse, quam heredes ejus personalibus scilicet actionibus teneatur obnoxii, sancimus. Neque enim temere hypothecam dederimus his qui de ea pactum non fecerint, nisi omnino in scriptura eorum que in bonis sint comprobetur facta esse mentio, aut ipsi bona sua pignori opposuerint, aut saltem hoc simpliciter adjeecerint periculo eorum que in bonis habeant, aut denique aliquid proloquuti fuerint, aut conscripserint ejusmodi, quod intellectum quandam hypothecæ adferat. Tunc enim ipsis etiam hypothecam præbemus, ut neque legum nostrarum in universum naturam perturbemus, neque ipsos tolerabili defraudemus auxilio. Usuræ sane siquidem certas pepigerint pactæ præstentur. Si vero dumtaxat scriptum fuit, quod fœneratitium creditum extiterit: nequeant contrahentes dicere, quod ex quo usuræ finitæ non sunt, propterea et debitum sterile haberi debeat, sed ex præsumptione ita celebretur exactio, quasi beses usuræ expressis verbis nominatæ sint, atque hoc quidem de cætero observetur: in ratiociniis vero, quæ jam confecta sunt, et si nulla usurarum habita sit mentio: tamen quia manifestarium est, quod apud argentariæ mensæ propositum solummodo contractus sub usuris inatur, cum non possit, qui ipse usuras pendit, sine usuris dare impendiar: liceat ipsis beses usuras expectare, ut tamen de cætero observent ea que, quæ præsens ipsis sacra lex largitur.

CAP. VI.

In illo utique casu nimis quam ipsis opem ferimus, ut si ratiocinia proferantur, quæ expresse quamque causam¹⁷ habeant adscriptam, in quam aurum datum est, atque hic ratiociniis ipsis subscripserit: etsi singulas in ipsis causas propria manu non scripserit, aut etiam confessionem de hoc aliquam sive sub specie mutui, sive ex acceptatione, sive etiam aliter non confecerit, neque amplius ab eo qui hoc fecit, singularum causarum particulatim probationes exigere: nisi forte ex abundantanti velit vel ipsi, vel creditoris hereditas jurandum¹⁸ deferre: hoc enim solum ei concedimus: intra tamen ea tempora¹⁹, quæ exceptioni non solutæ pecuniæ attributa sunt. Nam si id quoque tempus præterierit

L. 26. § 1. in fin. D. de pæctis. L. 5. in fin. — 15. Fac. L. 3. § 2. in fin. D. de usuris. L. ult. § 2. C. de jure dotium. — 16. L. 26. § 1. vers. illos vero, C. de usuris. — 17. L. 4. D. de pignorb. L. 4. D. de fide instrum. — 18. L. 12. § 3. C. de non numer. pec. — 19. d. l. 14. pr.

contigerit, neque jurejurando ipsos gravamus: id quod etiam in generalibus legibus descripsimus, quamquam ne hoc quidem ex usu erat: nam eum qui propria manu vel scripsit, vel tradidit ratiocinia, quomodo justum fuerit putare ita dissolutum extilisse, ut quæ data non essent, pro datis scriberet?

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, et per hanc sacram pragmaticam declarantur legem, ea tam gloria tua, quam quicunque præterea reipub. nostræ magistratus, inviolata custodire in perpetuum studeto: decem librarum auri pœna inminente his, qui hæc vel transgrediuntur, vel transgredi patiuntur. — Dat kal. april. *Constantinop.*, DN. JUST. P. P. AUG. BASIL. V. C. CONS.

TIT. XX.

DE ORDINATIONE EPISCOPORUM ET CLERICORUM.

NOVELLA CONSTIT. CXXXVII.

Antonio Contio interprete.

Imperator JUSTINIANS AUGUSTUS Petro magistro officiorum.

PRÆPATIO.

Si civiles leges, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus, quanto plus studii adhibere debemus circa sacrarum canonum et divinarum legum custodiam, quæ super salute nostrarum animarum definitæ sunt? Qui enim sacros canones custodiunt, domini Dei adiutorii digni sunt: qui autem eos transgrediuntur, ipsi semetipsos iudicio reddunt obnoxios. Majori igitur condemnationi subjacent sanctissimi episcopi, quibus concreditur et commissum est et canones inquirere et conservare, si quod eorum prætermisum fuerit, indemnatum atque impunitum reliquerint. Sane cum hactenus canones observati non recte fuerint, diversas ex eo passi sumus interpellationes contra clericos et monachos, et quosdam episcopos, ut qui secundum divinos canones non viverent, et quidam etiam inter eos invenirentur, qui nec ipsam quidem vel sanctæ oblationis vel sancti baptismatis orationem tenerent aut scirent.

CAP. I.

Dei igitur intelligentes et animo infigentes iudicium, singulorum quæ nobis delata sunt, inquisitionem simul et correctionem jussimus canonicè procedere. Si enim illa quæ a laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionem et vindictam manere, quomodo a sanctis apostolis et patribus super omnium hominum salute canonicè statuta despicii patiemur? Sane multos ex eo maxime deprehendimus in peccata fuisse prolapsos, quod non sunt factæ synodi¹ sanctissimorum sacerdotum, juxta ea que a sanctis apostolis et patribus definita sunt. Si enim hoc fuisset observatum, quilibet metuens gravem in synodo accusationem, studisset utique, et sacras ediscere liturgias, et temperanter vivere, ne condemnationi divinatorum canonum subjaceret: illud quoque nihilominus quibusdam peccandi occasio fuit, quod absque examinatione, et rectæ fidei atque honestatis vitæ testimonio ordinantur episcopi, presbyteri, diaconi, et ceteri clerici. Nam si ad orandum pro populo destinati, indigni divino ministerio inveniantur, quomodo pro transgressionibus et delictis populi Deum propitiare poterunt? Plane ordinationes sacerdotum *cum omni diligentia et rigore fieri oportere*, docet nos et qui inter sanctos censetur Gregorius theologus, sequutus sanctos apostolos et divinos canones. Sic enim in magno Apologetico: *Quis autem* (inquit) *secundum Pauli canones et definitiones seipsum dirigens, quas de episcopis et presbyteris constituit ut sibi sobrii sint, modesti, non violenti, non percussores, ad docendum idonei, irreprehensibiles in omnibus non conversantes malis: non multum aberrare se inveniet ab illa canonum rectitudine? Idemque rursus loquitur in hæc verba: *Mundari* (inquit) *oportet primum, ac deinde mundare: sapere, ac deinde sapientiam docere: lucem fieri, et postea illuminare: propinquari Deo, tum alios adducere: sanctificari, tum sanctificare: manu ducere cum manibus, consultare cum consilio*. Et rursus idem sanctis connumeratus Gregorius, de iisdem in eadem oratione istud scribit: *Quis instar figuli uno ipso die fecit sua tornantis, ita repente fingat veri cultus antistitem,**

TIT. XX. — 1. N. 123, c. 10. Canon. Apost. 36. — 2. N. 6, c. 1, § 2. L. 53, in pr. C. de episcopis. — 3. Canon. Apost. 16. — 4. l. 19. C. de episcopis. N. 123, c. 29. N. 153, c. 5. — 5. d. N. 123, c. 1. — 6. d. c. pr. — 7. Abrog. d. N. 123, c. 1, § 1. — 8. d. c. 1. pr. L. 42.

cum angelicis stantem, et cum archangelis laudes canentem, et Christo consacrificantem. Et per hæc quidem indicat ille Theologus, qualesnam oporteat ad sacerdotium promoveri. De his autem qui ordinantur in digni, idem hæc dicit in eadem oratione: *Qui cum nihil* (inquit) *ad sacrum Dei alare et sacerdotium attulerint, nec in virtute et pulchro prius insudarint et elaborarint, simul discipuli et præceptores pietatis ostenduntur: et priusquam purgati sint, purgant, heri² sacrilegi, hodie sacerdotes: heri extra sacra, hodie præsules mysteriorum: veteratores malitiæ, novitii pietatæ, qui sunt opus aque fabrica humane gratiæ, non Spiritus sancti*. Quod autem divini canones prohibent clericos esse, qui secundam³ uxorem duxerunt, et inter sanctos Basilii docens, sic ait: Digamos canon ministerio exclusit (inquit) et ex iis progenitos. Et hæc quidem sanctus Basilius. In tantum autem patribus sacerdotum cura fuit, ut qui Nicæa convenerunt, canonem ediderint ita habentem: interdixit per omnia magna synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam⁴ habere mulierem, nisi forte aut matrem aut sororem aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiant.

CAP. II.

His igitur quæ sacris canonibus definita sunt, insistentes, præsentem sancimus legem, per quam sancimus ut quoties usu venerit episcopum ordinari⁵, convenienti clerici et primores civitatis qui ordinandus est episcopus, et propositis sanctis Evangelii super tribus⁶ personis psephismata fieri, et quemque ipsorum jurare secundum divina eloquia, et ipsis psephismatibus inscribi, *quod neque per dationem, neque promissionem vel amicitiam vel gratiam, vel aliam qualemcumque affectionem, sed quod scientes ipsos rectæ et catholicæ fidei, et honestæ vitæ, et excedere trigessimam⁷ ætatis annum, ipsos elegerint, et quod, neque uxorem, neque liberos⁸ sciunt aliquid ex ipsis habere, nec pellicem⁹ aut filios naturales sciunt ipsos habere vel habuisse, sed si quis eorum prius uxorem habuit, et illam solam, et neque¹⁰ viduam, neque a viro separatam, neque sacris canonibus aut legibus interdictam, sed nec muneribus¹¹ publicis addictum, aut curialem aut taxeatam, sive cohortalem aliquem eorum qui electi sunt esse cognoscunt, præterquam si in monasterio non minus quindecim annis monachicam vitam sine ulla calumnia exegerit: ea sane observatione quæ antea a nobis dicta est, et in talibus personis earumque electione observanda, ut ex tribus ita electis personis melior¹² eligatur electione et iudicio ordinantis. Exigi etiam ante omnia ab eo qui ordinandus est, libellum ejus propria subscriptione complectentem quæ ad rectam ejus fidem pertinet. Enunciari etiam ab ipso et sanctam oblationis formulam, quæ in sancta communione fit, et eam quæ in baptismate præcationem, et reliquis præcationibus. Jusjurandum autem suscipere eum qui ordinatur, per divinas Scripturas, *quod neque¹³ per seipsum neque per aliam personam velit quid, aut promissum, neque posthac dabit vel ordinanti ipsum, vel his qui sacra pro eo suffragia fecerunt, vel ali cuiquam ordinationis de ipso faciendæ nomine*. Si quis autem præter memoratam observationem episcopus ordinetur, jubemus et ipsum omnibus modis episcopatu dejici¹⁴, et eum qui contra talem observationem eum ordinare ausus fuerit.*

CAP. III.

Si quis autem accusationem¹⁵ instituet contra ordinandos in episcopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel alium clericum, vel etiam abbatem ex quacunque causa, differatur talis ordinatio, et fiat prius inquisitio accusationis præsentem etiam accusatore, et ea quæ ab ipso delata sunt, usque ad finem prosequenti. Si vero desistat et comperendinet accusator, nihilominus is qui ordinationem facturum est, inquisitionem diligentissimam faciat intra tres menses: et si quidem obnoxium invenit eum qui accusationem sustinet, sive contra divinos canones, sive secundum nostras leges, prohibeatur ordinatio, si vero accusator aut præsens non probaverit, aut se absentaverit, siquidem clericus sit, proprio gradu depellatur: si vero laicus, competentem coercionem sustineat. Si autem quis ante examinationem causæ ordinaverit accusatum: tam ordinator quam ordinatus sacerdotio exuuntur.

CAP. IV.

Quando autem quod in canonibus cautum est de synodis sanctissimorum episcoporum per singulas provincias congregandis, hucusque minime observatum est: illud in primis corrigere est necessarium. Sancti igitur apostoli et patres definierunt, *bis¹⁶ in unoquoque anno fieri debere*

1. C. de episcopis. — 9. Canon. Apost. 16. — 10. Canon. Apost. 17. — 11. Adde L. 4. C. de episcopis. — 12. N. 123, c. 1, § 1. — 13. L. 131, C. de episcopis. — 14. d. N. 123, c. 2. — 15. Canon. Apost. 26.